UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

78. An Confessarius, qui solicitauit ado lescentem in confessione, sit denunciandus? Et docetur, quod lex pœnalis non est extendenda, etiam si militet in alio casu eadem retio, v. g. excommunicantur ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76372

Visual Library

cum de his non loquantur. Tum quia de Confeſſariis loquuntur non ſimpliciter, ſed per ordinem ad Sacramentum Pœnitentiæ, ità ut nec eoſmet comprehendant extra illud venerandum Sacramentum, aut dum ſunt extra Confeſſionarium non ſimulantes confeſſionem audire, quia nulla tunc fit Sacramento iniuria; Mandans autem Confeſſario, quod ſolicitet Pœnitentem in confeſſione facienda, confeſſionem non lædit, nec iniuriã facit, cùm nulla tunc adſit Confeſſio. Tùm etiam, quia ſicut fæmina ſolicitans in ipſo Pœnitentiæ actu non cõprehenditur in Decretis, quia de ea non loquuntur; ita nec comprehendent mandantem, qui mandando non tantam infert iniuriam Sacramento, ſicut fæminam Confeſſarius ſolicitando. Tum denique, quia nec mandans incurrit Excommunicationem latam contra facientes, ex Angelo, *verb. Excommunicatio* 8. *num.*1. Tabiena *verb. eodem* 5. *caſu* 49. §.5. Navarro *in Manuali*, *cap.* 27. *num.*51. Suarez *de Cenſuris, diſput.*4. *ſect.*3. *num.*5. *ad fin.* Reginaldo *lib.*9. *capite* 12. *num.*214. Martino Bonacina *de Cenſur. in communi, diſpus.*1. *quæſt.*1. *punct.*6. *num.*1. ubi in fine ait, quod quando oritur dubium, an mandans, vel conſulens comprehendatur ſub cenſura lata contra facientes, iudicandum eſt non comprehendi, niſi aliter expreſsè decidatur, ex Navarro *conſil.*55. *de ſentent. excommunicat. lib.*6. Avila *de Cenſur.* 2. *part. capite* 2. *diſp.*3. *dub.*2. & 6. Hucuſque Eſcobar; qui etiam in favorem noſtræ ſententiæ, quam probabilem etiam ipſimet adverſarii fatentur; ut Ianuarius, *ubi ſuprà, reſol.*56. *num.*6. ubi ſic ait: Non omnes abutenres Sacramento Pœnitentiæ denunciandos eſſe; ſed Confeſſarios tantùm ſolicitantes, vel illicita, & inhoneſta verba tractantes, &c. & ideò ſi quis Pœnitentiæ Sacramento abutatur, & Confeſſarius non ſit, non eſt denunciandus. Sic mulier ſolicitans Confeſſarium dùm confitetur, nõn eſt denuncianda. Nec interpres confeſſionis, etiam ſi ſit Sacerdos; tunc enim non ut Sacerdos ſolicitat, cùm tunc ſe teneat ex parte pœnitentis. Nec tertius, qui mulierem, vel alium ſolicitat per Confeſſarium in confeſſione; quia leges latæ contra efficientes, non ligant mandantes, etſi Confeſſarius tanquam leno ſit denunciandus. Neque eſt denunciandus Confeſſarius Pœnitentem ſolicitans ad alia peccata mortalia non inhoneſta, ut ad furtum, ad homicidium, etſi hoc faciat cum abuſu Sacramenti Pœnitentiæ; quia Bullæ loquuntur de Confeſſariis ſolicitantibus ad turpia, &c. Ita ille.

Sup. hoc in Reſ. prçterita § 1. ant. med. à verſ. Et ideo. & ſup. in tr. 1. Reſ. 75. & ſi placet lege §. & Reſ. ejus primæ not.

Sup. hoc inf. in Reſ. 84. & 85. &c.

Sup. hoc in interprete inf. in Reſ. 83. &c.

Sup. hoc ſup. in Reſ. 71. & 72.

2. Vnde ex ſuperiùs dictis idem Eſcobar *poſteà in q.*4. §.1. *num.*71. aſſerit non eſſe denunciandum, qui tactibus, nutibus, vel ſignis fæminam provocat, dùm illa alteri confitetur, nam ſub Decreto non comprehenditur. Tum quia Bulla tantùm loquitur de Confeſſario, cui fæmina actualiter confitetur; nec habet locum in altero. Tum etiam quia licèt ex ſimili ſolicitatione injuria inferatur Sacramento Pœnitentiæ, non tamen infertur à Confeſſario velut ejus miniſter, ſed velut extraneus, ſicut quilibet poſſet Laicus, qui nec eſt Sacramenti Miniſter, nec eſſe Miniſter poteſt; in quo adeſt diverſiſſima ratio. Ita ille, qui etiam citat Souſam.

Sup hoc inf. in Reſ. 84. & in alio §. ejus primæ not.

RESOL. LXXVIII.

An Confeſſarius, qui ſolicitavit adoleſcentem in confeſſione, ſit denunciandus?

Et docetur, quod lex pænalis non eſt extendenda, etiam ſi militet in alio caſu eadem ratio, v.g. excommunicantur omnes, qui cogunt mulieres ad ingrediendum Monaſterium; ergo ſub nomine mulierum, non includantur viri, qui coguntur Religionem ingredi, &c. Ex p. 1. tract. 4. Reſ. 12.

§. 1. OLim negativam ſententiam ſuſtinebam cum Aloyſio Bariola *in Florib. Inquiſ. fol.* 227. Portel. *in addit. ad dub. reg. v. ſolicitare fæminas*, quam etiam noviſſimè docuit Fagundez, Societatis Iesu, *tract.* 2. *lib.*4. *cap.*3. *n.*31. licèt contrarium aſſerat Giptius *tract. de caſ. reſer. cap.*14. *n.*4. Coriolanus *tract. de caſ. reſerv. p.*1. *ſect.*2. *art.*22. *n.*3. Riccius *in praxi, p.*3. *reſol.*66. *n.*3. Rodericus Acugna *in tract. de Confeſ. ſolic. q.*5. *per tot.* Rodriquez *qq. reg. to.*2. *q.*27. *cap.*3. Cherubin. *in Compen. Bullar. par.*1. *Conſtit.*31. *Pÿ IV. ſchol.*2. Molfeſius *in ſumma, tom.*1. *tract.*7. *cap.*24. *n.*34. Megala *in* 1. *par. lib.*1. *cap.*5. *n.*32. Quaranta *in ſumma Bullar. verb. Confeſſ.* Scortia *in Bulla Pontif. epit.*77. *theor.*197. & alij.

Sup. hoc in Reſ. ſeq. & inf. in reſ. 84. prope fin. & in ... tr. 7. reſ. ... §. ult. & ... doctr. ... ſeq. in ejus ult. in pr...

2. Et ratio erat: quia lex pœnalis non eſt extendenda, etiamſi militet in alio caſu eadem ratio: ſed Pontifices loquebantur adversùs Confeſſarios ſolicitantes fæminas: ergo Bulla non erit extendenda ad ſolicitantes pueros; Et adducebam ad confirmationem hujus ſententiæ *Clementinam unicam, de conſang. & affin.* ubi excommunicantur Moniales profeſſæ, cuicunque nubentes, & accipientes illas in uxores; & excommunicantur etiam profeſſi ineuntes matrimonium: & tamen, ſi aliqua fæmina ſæcularis iniret matrimonium cum profeſſo, non incurreret in excommunicationem, ſicut incideret, vir ineundo matrimonium cum Moniali, ut notavit Card. Ancharanus & Bonifacius hic. D. Antoninus *p.*3. *tit.*24. *cap.*34. Caietanus *in ſumma, verb. excommunicatio, cap.*4. cum Sanch. *de matrim. to.*2. *lib.*7. *diſp.*48. *n.*2. Sed, quia textus loquitur de maſculis, non extenditur ad fæminas: ita & in caſu noſtro, cùm textus loquatur de fæminis, non eſt extendendus ad maſculos. Sic etiam in Concilio Trid. *ſeſſ.*25. *de regul. c.*8. excommunicantur omnes, qui cogunt mulieres ad ingrediendum Monaſterium: & tamen Sanchez *in ſumma, tom.*1. *lib.*4. *cap.*4. *n.*3. cum Suarez, & Bañez, ſub nomine mulierum non includit viros. Ergo & in noſtra Conſtitutione, ſub nomine fæminarum non includuntur maſculi.

Sup. hoc ... tom. 6. ... Reſ. 79. & ... multis ... ejus notationum.

Sup. hoc et doctr. Reſ. præterite not. & aliàs ejus notationum.

3. Ideò, ut dixi, probabiliter hanc ſententiam olim ſuſtinebam, ad quam etiam inclinabat Paramus *de orig. Inquiſ. lib.*3. *q.*10. *n.*96. ſed hodie ex Conſtit. Greg. XV. ceſſat omnis dubitatio: quia ibi Pontifex decernit, etiam ſolicitantes viros eſſe denunciandos, in illis verbis: *Qui perſonas, quæcunque illæ ſint*, & ita in terminis dictæ Conſtitutionis docet noviſſimè noſter Naldus *in addit. ad ſummam, verb. Confeſſio, n.*31. Peirin. *in privil. Minim. tom.*2. *Conſt.*4. *Greg. XV.* §.5. *n.*14. Venerus *in exam. Epiſc. lib.*5. *c.*17. *n.*19 & Bellochius *de caſ. reſer. p.*2. *q.*7. *n.* 28. & *q.*10. *n.*51.

RESOL. LXXIX.

An etiam ſecluſa Bulla Gregor. XV. Confeſſarÿ ſolicitantes maſculos ſint denunciandi? Ex p. 4. tract. 5. Reſ. 33.

§. 1. DVbius in hac quæſtione remanſit Lopez, & abſolutè negativam ſententiam docuit Bariola, Fagund. & Portel & de hac re conſulendam eſſe Sedem Apoſtolicam deſideravit Paramus. Sed ut ego aſſerui *in* 1. *par. tract.*4. *reſol.* 12. affimativam ſententiam docebant communiter Doctores, verùm quia negativa habebat pro ſe viros doctos, nec in contrarium aderat determinatio clara Pontificis, ut ego tunc putabam, cenſui eſſe probabilem, quod modo non cenſeo, quia invenio ante Conſtitutionem Gregorij Paulum V. *die* 6. *Februarÿ anno* 1619. decreviſſe expreſsè Confeſſarios ſolicitantes pueros incluſos eſſe in Bullis, & per conſequens denunciandos, & ita teſtatur Ioan. Baptiſta Scortia *in Bulla Pontif. epitom.*77. *theorem.*197. & idem decreverat *die* 29. *Novembris* 1612. ut

Quæ hic ... Reſ. antecedens, & ... aliis ejus primæ ...

Sup. hoc ... Reſ. ſeq. lin. 3.

BIBLIO... DIANÆ omnia TO. III. IV. V. E. III

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN